

SPECIMEN PHILOSOPHICUM

De

*Differentia notionum instrumentalium &  
realium.*

---

CUJUS PARTICULAM II.

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PUBLICO PROPONIT EXAMINI

**M. GABR. ISRAEL HARTMAN,**

*Philosophie Theoretica Docens, Amanuens. Biblioth. nec non  
Reg. Societ. Oecon. Finl. Membrum & Secretarius  
Secundus.*

RESPONDENTE

**CAROLO GABRIELE WESTZINTHIO**

OSTROBOTHNIENSE,

*In Auditorio Anatomico Die V Dec. MDCCCIV.*

heris a. m. solitis.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

f. f. retraction  
act. 1817

3

nomine universalium insigniri; causam vero ejus denominationis exponendam esse censeo. Per se non sunt nisi singulares, h. e. certam relationem, affectionem, figuram, rem &c. representando exhibent, sed usus respectu sunt universales, quia, æque apte & bene ad hanc illarum similem rem, ac illam designandam, illis uti possumus *i*). Sed ut mens nostra fiat apertior, similitudinem sive imaginem rei, de qua discriamus, proponere mihi permittat Lector benevolus. Littera A, quæ ex metallo facta in armario officinæ typographicæ est, per se & proprie considerata, est res singularis; sed quoniam tam in *Abracadabra*, quam in *Arma* & in quovis verbo, ubi sonus *α* A occurrit, adhiberi potest, universalem habet usum, & eadem ratione, eandemque ob causam universalis est nominanda, ac notiones de quibus sermo est. Ex qua similitudine, indolem universalitatis earum (videl. notionum) quisque optime intelligere potest *k*). Quam similitudinem eo quoque majorem & perfectiorem esse cernimus, cum scimus typos illos litterarum, non simplices tantum vocum partes representare, ut a, e, b, &c. (uti notiones simplices rerum, v. gr. viride, dulce &c.) sed etiam compositas partes & figuras, si hæ sæpius obveniant, ut *α*, &, *β*, &c. uti etiam notiones compositæ plures simplices continent, non aliter ac jam dictum est.

*i*) Sicuti tabula picta collectoris supra memorati; quamquam in se considerata singularis est figura, tamen æque adhiberi potest ad unam ejusdem generis rem agnoscendam, ac alteram, itaque universalem habet usum.

*k*) Qui hanc universalitatem aliter cogitet, & aliquid proprii, ac peculiaris indolis in notionibus hisce sibi fingat, frustra id facit. Nam facile, si præjudicio liber es, observare potes, illas non alia ratione esse universales, quam aratrum, cujus ope arator unum sulcum in agro æque ac alterum findit, & lingua, qua utimur tam ad unum verbum quam ad alterum profertur. Quæ tamen vere singularia sunt.

Has itaque notiones sive ideas, quas, ut eo facilius a realibus distinguantur, *instrumentales* nominemus, non solum in memoria paratas conservamus, sed etiam nomina, sive, ut Logici loquuntur, terminos illis imponimus; ut certus sonus, vel certa figura, aut, in universum, certum signum externum, quod, ubi necesse sit, proferre valeamus, cuique earum respondeat. Quod vero eatenus tantum fieri potest, quatenus occasio nobis præbatur cum aliis, quibuscum una vivimus, & eodem sermone uti volumus, nostram mentem ita communicandi, ut intelligant quam notionem hoc vel illo signo designandi animus nobis sit. Quod fit quasi indigitando ejusmodi partem rerum occurrentium, aut rem talem obvenientem, non aliter, ac præceptor pueris digito ostendit litteram & nomen ejus litteræ simul dicit; unde hi intelligere possint, figuram illam monstratam sono edito respondere: & veluti infantes omnes animadvertunt, quo nomine adultiores denotant res obvenientes, non ut res ipsas solum inspiciant, sed ut ex rebus illis earumque partibus *notiones* sibi comparent, & nomina debita, i. e. ut alii homines illis utantur, notionibus suis adjungere queant. Observandum vero est, quod ex dictis luculenter patet, numero notionum instrumentalium numerum terminorum non exæquare, quoniam & longe antea, inde scilicet a primis sensationibus, notiones ejusmodi immediate oriuntur, quam illis signa externa adnectere possumus, & termini, non nisi in occasione apta, ubi de denominatione & notione determinatione, respectu terminorum, cum aliis hominibus convenire, aut nostram notionem ad eorum mentem adaptare possumus, notionibus affigi queunt. Quare certum est, nos multo pluribus notionibus instrumentalibus uti quam terminis designatas habemus *h*.

*h*) Variè admodum Philosophi docuerunt de origine, indole & pretio notionum, quas illorum plerique universales appellarunt, ego vero instrumentales aptius nominandas esse putaverim. Ut de primorum philosophorum opinionibus dicere superfedeam, ut Joniorum, Pythagoreorum, Eleaticorum, qui minus de illis,

illis, quibus uti sint, notionibus cogitaverint; Plato quoque frustra originem & naturam earum investigavit. Animadvertens scilicet, nos, ut Ciceronis verbis (Academ. Quæst. L. IV. C. 7. utar, illa, *quæ non sensibus ipsis percipi dicuntur, sed quodam modo sensibus, ut hæc: illud est album, hoc dulce, canorum illud, hoc bene olens, hoc asperum, ille deinceps equus est, ille canis, animo jam tenere comprehensa, non sensibus*: quoniam, cum sic judicamus, illas jam habeamus necesse est; præterea videns nos illis solum in demonstrationibus uti, non autem illarum e sensationibus originem, non potuit, quin crederet illas esse menti insitas, & majori esse pretio, quam quæ sensibus percipiuntur. Hinc ejus doctrina de Idearum (sic enim notiones universales nominavit) natura, earumque ex divinitate ortu, &c. (Conf. TENNEMANN, Gesch. d. Philos. Th. II. p. 298.). ARISTOTELES, qui acumine sui ingenii cito jam observavit, notiones has etiam per experientiam, sive sensuum ope, acquiri posse, Platonis opinionem reliquit, & contrarium ejus ita urfit, ut nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensibus, diceret: vel ut TENNEMANN (Geschichte der Philos. Th. III. p. 46) sensa ejus exponit: *Man empfindet zwar das Einzelne aber der Sinn ist un-mittelbar auch das Vermögen das Allgemeine wahrzunehmen. Denn in dem Sinnlichen ist auch das Denkbare enthalten.* (Qui Aristotelis propria verba legere vult, illa in primis inveniet in Analyt. posterior. II. c. 19.) — Sed quamquam constanter docet, notiones universales esse sensibus perceptas, tamen nec quæ ratione oriuntur, nec pretium eorum satis accurate exponit, nec ipse cognoscere videtur. Stoicorum sententia fere eadem fuit ac Aristotelis, (quod videri potest ex ORG. contra Cels. L. VII. p. m. 367. edit. Hoesch. & PLUTARCH. de placit. philos. L. IV. C. H. Conf. BRUCKERI Hist. Crit. Philos. T. I. p. 917.) Ex recentioris ævi Philosophis, ut nihil dicam non modo de Theosophistarum opinione (quæ videri potest in BRUCKERI Hist. Crit. Ph. T. IV. P. I. p. 682.) sed etiam CARTESII, qui ut isti, notiones a Deo immediate nobis esse insitas docuerit, aut potius nos omnia in Deo videre ob nexum inter spiritus & Deum, qui est quasi locus Spirituum, (Vide de hac re MABLEBRANCHE De inquir. Veritate, Lib. III. P. II. c. 6) plurimi in eo consentiunt, quod nos, quoad fontem notionum universalium, illas ex experientia haurimus; præter nempe solum notiones absolute universales & necessarias, quæ ex præceptis

ceptis Kantianorum; nostratis Nic. Wallerii, aliorumque, a priori, h. e. ab ipsa natura intellectus originem suam ducunt. LOCKE maxima argumentorum mole persuadere lectoribus suis studet, omnia, etiam maxime universalia axiomata & notiones per sensationem & reflexionem, ut dicit, accipi, & fere totus Liber de Intell. Hum. circa hanc materiam versatur. (Conf. Encyclopedie ou Diction. raison. &c. à Neufchastel. 1760. art. AXIOME). WOLF quoque (Psychol. ration §. 429) *Notiones universales, inquit, non habemus, nisi quas aut a rebus sensu perceptis, vel iis, quorum nobis in nobismet ipsis consci sumus, abstraximus, aut in talia resolvere valeamus, quæ in individuis percepimus, (observata tamen doctrina Leibnitiana de inhærentia omnis cognitionis originaria in Monade, ut modificationes ejus; de quo hic non agitur.)* Et ipse KANT docet, non solum (Crit. d. r. Vern. p. 1.) *Dass alle unsere Erkenntniss mit der Erfahrung anfangt, daran ist gar kein Zweifel; sed etiam (l. c. p. 33): Vermittelt der Sinnlichkeit werden uns Gegenstände gegeben, und sie allein liefert uns Anschauungen; durch den Verstand aber werden sie gedacht, und von ihm entspringen Begriffe.* Sed de modo, quo oriuntur notiones, & de earum indole inter illos non minus convenit, quam verbis differe videntur. Quando KIESEWETTER (Weitere Auseinandersetzung der allg. Logik. p. 40) dicit: *Diese Vorstellung, die aus dem Verbinden des Mannigfaltigen der Anschauung in eine Einheit des Bewusstseins durch den Verstand entspringt, ist der Begriff; der Begriff ist also die Vorstellung einer Vorstellung, d. h. eine mittelbare Vorstellung des Gegenstandes:* Quando ABICHT (System der Elementar-Philos. pag. 52.) dicit: *Verknüpfungen sind Bestehungsarten, Formen der Gegenstände; Vorstellungen von Formen h. aber formale Vorstellungen; — und Vorstellungen vom Verknüpften h. Begriffe:* — Quando LEIBNITZ ea dicit, quæ supra p. II attuli; idem omnino senserunt, quod LAMBERT (Neues Organ. Dianoiol. §. 17) his verbis exponit: *Da der Begriff der Arten und Gattungen nur die Merkmale in sich faßt, die die Sache mit andern gemein hat, so läßt man in diesem Begriff alle eigene Merkmale weg, und stellt sich die gemeinsamen besonders vor. Die Verrichtung des Verstandes, wodurch dies geschieht, nennt man Abstrahiren, absondern, abziehen. Man abstrahirt die gemeinsamen Merkmale von den eigenen, damit man jene besonders habe, welche sodann einen allgemeinen, oder abstracten Begriff ausmachen: & quod WOLF Logic.*

gic. §. 716) his verbis tradit: *notiones universales comparantur --- 2.º Abstrahendo communia, quæ notionibus pluribus insunt: & denique quod dicit LOCKE (B. III. Ch. 2 §. 7.): And thus they (Infantes) come to have a general Name, and a general Idea. Wherein they make nothing new, but only leave out of the complex Idea they had of Peter and James, Mary and Jane, that which is peculiar to each, and retain only what is common to them all: quæ omnia tamen modum unum quidem ostendunt quo nos ad notiones universales pervenire possumus, sed quo minimam sane partem earum, quas habemus, revera consequimur. Immediate enim & sine comparatione idea quæcumque fit instrumentalis, quatenus nos ad illam referimus objecta sive res, ut contra singularis sive realis est, quatenus illam ad objectum certum referimus: & sic abeunt ideæ rerum, quando pleniores ideæ earundem rerum accipimus, in universales. WOLF etiam hoc quodammodo sensit, ubi (l. c.) dicit: *universales comparantur notiones --- 1.º reflectendo super iis, quæ percipiuntur, & BOUTERWEG quoque videtur idem perspexisse, cum (Anfangsgr. der Spec. Philos. p. 56) dicit: Begriffe sind die ersten Beziehungen des Verstandes überhaupt auf Objecte. Wir gewinnen Begriffe, wenn wir Etwas, das wir als Object überhaupt setzen, als etwas logisch Bestimmtes, d. i. durch das Denken von andern Objecten Abgesondertes anerkennen; & verba Celeberrimi Kant supra allata: durch den Verstand aber werden sie gedacht, und von ihm entspringen Begriffe, idem respiciunt. Sed non possum, quin existimem, omnes hos Philolophos non satis perspexisse naturam nostrarum notionum universalium, idque ejus rei causam, quod inde a cana antiquitate majoris pretii illas haberent, quam revera habenda sint. Proveniunt modo simplicissimo; universales sunt ut supra explicavi; & quid dubii forsitan restet in animo lectoris, resolvere conabor in libro de Cognitione humana, quam quamprimum sum editurus. In illo etiam demonstrare conabor, omnia animantia notionibus universalibus uti, nostramque præ ceteris præstantiam, non in illis, sed in usu illarum rationali & libera, esse quærendam. — Sed plura de hac re infra.**

Homo, quando ita notiones instrumentales in memoria coacervavit, illasque quasi in arca secum fert, ut, sicuti pecunia viatori, sibi usui sint & serviant: & postquam his no-

tionibus certa signa externa ita adnexuit, ut, quoties notio occurrat, toties etiam signum extra se, medio quodam, aut immediate nobis a Deo dedito, ut sono articulado, aut mediate, ut scriptione, aliisve figuris & rebus externis, quarum usus nobis facilis sit quasque in promptu habere possimus, proferre valeat; instructus est instrumentis sive mediis necessariis ad sua cogitata exprimenda. Sed ratio, qua utitur his instrumentis exponenda est.

Habeo alicujus rei ideam; quam cum alio quodam homine communicare volo. Habere vero Ideam rei cujusdam idem est, ut supra jam multis declarare conatus sum, ac scire, quæ, qualisque sit illa res, h. e. quasi videre quibus constat partibus, & in qua relatione hæ partes inter se invicem conjunctæ & ordinatæ sunt, quatenus apprehendantur, aut quatenus a me sint mente perceptæ. — Habeo Ideam, inquam: tum ad meam penam notionum instrumentalium me verto, & ibi circumspicio & perquiro, an sit, in illa, notio quædam meæ ideæ similis; quam si invenio, eam aut signo externo debito notatam esse, aut minus, simul video *m*). Si illud, peracta est secunda mentis operatio; sed facile quisque intelligit, per paucas solum ideas, \*) sive sint cogitando formatæ, sive sensuum aut conscientie sui ope perceptæ, habere accurate sibi respondentem notionem instrumentalem, nisi ipsæ sint simplices aut calu quodam ita compositæ, ut iisdem partibus consentent, aut nominibus propriis antea denotatæ, aut denique eadem notiones \*\*). Quod vero cum rarius eveniat, (& cum eo rarius etiam exsistere debeat, quo verius est, nullius esse præter notionem nudam & jam cognitam in mentem alius provocare, *n*), hoc omitto, & confero me ad exponendum, quomodo agendum sit, quando ideam aliter formatam aut cogitationem, qua in idea certum aliquid observemus, proferre volumus. Antequam autem hoc facio, observandum quidem esse puto, nos, quando, quod cogitemus, exponere volumus, aut velle mentem alterius in unam solum certam rei jam cogni-

gnitæ aut incognitæ partem, attendere & in ea ejus animum quasi figere, aut totam rem cogitatum describendo proferre; quod utrumque disputatione egere videatur; sed in illo tamen casu non aliter ac in hoc est agendum; quoniam de iis rebus tantum quæstio est, quas cogitamus, aut quas exponere volumus: non de cæteris partibus Idearum. Quare, si, quid in hoc sit agendum, explicavero, facili negotio intelliges (ut puto) rationem, qua mens in omni casu & statu, ubi sua cogitata cum altero communicare vult, id facere debeat. — Habeo, igitur inquam, ideam rei, quam describere volo; quæro tum in collectione notionum instrumentalium, & inde, quasi depromo illas, quæ ideæ partibus sunt similes. Ex his, uti partibus, construo alteram ideam, *illi* cogitatæ & exprimendæ similem, quatenus talibus instructus sum notionibus, ex quibus illam, partem pro parte, componere possum, ut fiat altera protypo suo, scil. ideæ primæ, tam similis, quam, ejusmodi instrumentis adhibendis, fieri possit. Licitum mihi sit hic appellare illam *Ideam primam*, hanc vero ex notionibus partium compositam *Ideam secundam*. Quæ cum est facta, secunda in hoc ordine mentis operatio peracta est. (Vide supra p. 13.) *o*).

*m*) Nam quæ simul mens nostra ita apprehendit, ut uno conscientie actu percipiantur, conjuncta etiam in memoria necessario manent, ut omnia simul in conspectum mentis proveniant, quando unum aut plura s. partem quandam illorum revocamus. Hoc necessario pendet ab ipsa conscientie natura, & a quovis philosopho esset perspecta, nisi alias diversas ideas pro eadem sumerent. Quod vero nemo facere potest, qui observat, illam ideam tantum esse eandem, quæ eodem modo perfecte comparata sit, mox vero esse aliam, cum aut plures aut pauciores, aut alias partes quodammodo contineat. Sic revera habemus aliam seriem notionum instrumentalium pro quavis lingua, quam callemus, ut notio, cui terminus *homo* adhæreat, revera sit alia, (non aliter formata, sed alia tantum) quam notio cui terminus *menniſka* adnexus sit, quamquam inter se similes, & eandem rem indicantes. Hinc evenit, ut verba unius lingue cum verbis alterius loquendo raro confundamus, adeo ut diffi-

cile sit a serie unius linguae notionum ad seriem alterius transgredi. Sed res in promptu est.

(\*) Nempe respectu multitudinis earum, quae res spectant, & propterea reales dictae sunt.

\*\*\*) Si scilicet. notiones instrumentales ipsas cogitando tractamus, & cogitata exprimere volumus, quisque videt, nos statim posse invenire notionem instrumentalem, notioni cogitatae respondentem.

a) Quis enim est, cui ridiculum non sit, audire aliquem nomen alicujus rei proferre, nihil autem ulterius de illa re dicentem? Nonne ille taedio quodam quasi incitaretur ad quaerendum: Quid de illa re? — Si quis clamaret: Holmiam, praeterea nihil dicens, quisque illius vocem qui audiret, suo iure cogitaret: quid de Holmia ille dicere velit? quid mirum ille cogitet? sine ille sanus? e. s. p. nisi alias fat est ad rem in conspectum mentis provocandam, ut id, quod de illa exhibere velimus, sua sponte ille inveniat qui audit. Sufficeret enim ad omnem Viduae dolorem renovandum, si occupatione quadam retentus hebefceret, mariti amati & desiderati ideam, quamvis solam, illo nominando, provocare.

b) Si quis hic quaereret, an semper sic informemus Ideam secundam, antequam illam signis externis proferamus, responsum infra inveniet.

Ut vero mea cogitata clarius eluceant, observes, hanc mentis actionem esse persimilem typhetae in officina typographica. Idea, quam primam vocavi s. realem, respondet verbo manuscripti. Typheta, qui illud inspicit, quaerit in armario typorum litteras singulis partibus verbi respondentes, aut sint simplices vel compositae, & postquam illas invenit, ex illis in forma sua constituit verbum verbo manuscripti simile, quatenus scilicet. ex typis suis illud construere potest. Notandum vero est: 1o Typheta statim invenire typum verbo primo respondentem sine constructione, si antea typum eodem modo compositum in armario suo habeat, aut si verbum simplex

plex littera sit, ut quando *si* (conjunct.) aut *i* (imperat. ab *ire*) aut *o* (Interj.) exprimere debet; non aliter ac mens facit, quando in exhibendis nominibus propriis aut ideis simplicibus &c. versatur; 2o Typheta alias figuras in formam suam ponere non posse, quam quae sunt in armario suo; ut etiam mens alias ideas exprimere nequit, quam quarum partes in notionum suarum instrumentalium serie invenit; & 3o illis typis typheta non potest uti, qui, brevitatis aut alius cujusdam vitii causa, chartae sub prelo non committit debitam figuram, etsi ipse videt typum esse eundem, quo egeat — omnino sicut mens, quae ejusmodi notionibus non potest uti, quae, quamquam ex serie notionum instrumentalium sunt, & constructioni ideae secundae bene infervirent, terminos sive signa externa debita sibi subnexa non habent.

Exemplum adhuc apponam. Ideam figurae cujusdam, ut certi quadrati, cujus latera 3 ulnas longa sint, tibi fingas, illamque qualis in mente tua sit, cum alio, qui latiam linguam callet, communicare velis. Queris igitur inter notiones tuas instrumentales verbis latinis denotatas, illas, quae partibus figurae tuae respondent, & invenias e. gr. notionem figurae ex quatuor lateribus & rectis angulis constructae, cui nomen *rectanguli* affixum sit, notionem *aqualis*, notionem *trium*, notionem *ulnae* &c. Ex his notionibus construis tibi ideam figurae, Ideae primae similem, & peracta est operatio mentis secunda,

### III. Terminorum sive signorum externorum prolatio: — cogitationis per instrumenta externa expositio.

Idea secunda (vid. p. 23) confecta, ad exponendam Ideam primam adgredi licet. Quod sit, aut voce, aut manu, aut alio quodam instrumento, quo res externas afficere possumus, proferendo signa externa notionum, ex quibus constat Idea secunda, idque eo ordine iisdemque rationibus, ac notiones in mente sunt in idea secunda ordinatae & inter se sitae: ut typographus, postquam formam suam paratam habet,

sub prelo in charta imprimi idem verbum, quod ei in manuscripto erat traditum ut illud typis imprimeret. Itaque idea prima sive cogitatum mentis expressa est.

Hoc loco vero observandum est: 1<sup>o</sup> operationum mentis, quas (II & III) descripsi, sæpissime ita immediate alteram sequi alteram, ut inter se non sine difficultate distingui possint. Sæpissime enim statim, ac notionem parti cuidam, certo tamen ordine sumtæ, ideæ primæ, respondentem invenimus, signum illius notionis edimus, & sic secundæ, tertiæ, &c. usque dum stent signa omnium notionum, in secunda idea usurpandarum, externe eodem temporis momento expressa, quo ideam hanc intus exstructam habemus: & cum habitum notionibus & signis bene & promte utendi contraximus, vix ulterius animadvertimus notiones instrumentales, quibus utimur, sed quasi ineset notio in verbo sive signo, immediate fere a prima idea ad signa proferenda transgredimur. Quod tamen non impedit, quominus semper mediate fiat; & tunc tantum a nobis minus observatur, quando non idearum realium ope sed instrumentalium cogitamus, i. e. quando non de rebus cogitamus, sed tantum notiones instrumentales inter se conferimus & tractamus *p*).

2<sup>o</sup> Non solum partibus ideam primam constituentibus, sed etiam earum relationibus, modoque, quo inter se conjunctæ sunt, respondeant notiones instrumentales & signa externa, si accurata fiat cogitati expositio. Hinc casus, modi, particulae &c. linguarum *q*).

*p*). Hac in re, scilicet quod non distinxerunt inter ideam secundam & primam, errarunt plurimi, qui de communicatione cogitationum scripserunt. Ut vero præteream ea, quæ de natura & indole mentis scribit J. FR. BUDDEUS (Elem. Philos. in fr. <sup>e</sup> P. II. C. I.), Lectorem remitto ad LAMBERTI Semiotica<sup>m</sup> (N. Organ. P. III.) ubi videbit fere ne verbum quidem <sup>d</sup>

discrimine cogitationum ipsarum & instrumentorum, quibus illæ exponantur, dictum esse; idque & ubi de cognitione nostra symbolica in univ. agit, & quando propius ad indolem linguarum considerandam adgressus est. E contrario signa cum notionibus signatis, & has cum cogitatione nostra de rebus & argumentis obviantibus, ubique confundit. LOCKE, qui, in III<sup>o</sup> Libro Operis jam citati, præ fere omnibus tam prolixè & simul tam vere de terminis eorumque usu disputat, ut, quæcumque dicat summa attentione sit digna, tamen quoad illud, de quo loquimur (scilicet quoad modum, quo utamur terminis ad exprimendas ideas primas sive reales, mediantibus secundis) non satis rationem rei explicat. Neque PLATO, qui in Cratylo suo tam fute de nominibus diserit, neque ARISTOTELES, qui (De Interpretatione, et de Anima) prolixè de natura sermonis loquitur, neque alius ex veteribus quisquam, hanc rem perspexit — Et WOLF, quamquam satis superque de propositionibus & de syllogismis, quæ semper ideam secundam aut potius verba solum spectant, scribit, obiter tantum de terminis, & de illis quidem non accurate, minime vero de earum vera relatione ad cognitionem nostram realem, agit.

*q*) De hac re consulere potes BUDDEUM (l. c. §. VIII &c.), LAMBERT (Organ. Semiot. in primis VI<sup>s</sup> Hauptstück) & præcipue LOCKE (Essay conc. H. Underst. B. III. Ch. VII.)

3<sup>o</sup> Ex dictis patet, multas sæpissime notiones instrumentales & verba esse necessaria ad exprimendam unam ideam realem. Si machinam quandam cujus ideam tenes, describere vis, quot verbis tibi est utendum! Totum fere volumen requiritur ad ea accurate exponenda, quæ immediate & uno fere conscientiæ actu percipis. Fac periculum accurate describendi folium arboris cujusdam, et quercus; & mox videbis tibi longa oratione esse opus; & postquam multa verba fecisti, videbis te, sine figura picta, difficillime posse omnia in illo percepta exponere, quæ uno fere obtuitu longe perfectius sensu excipis.

*IV. Impresio per sensus, qua termini sive signa externa sensibus in mentem alterius excipiuntur.*

Tres illæ operationes, quas hætenus exponere conatus sum, ad illum pertinent, qui sua cogitata alteri tradere cupit, & expressionem cogitationis absolvunt; reliquæ vero ad illum, qui signa prolata vult intelligere, ut communicatio Idearum ad finem usque perducatur. Quod vero non nisi tribus operationibus perfici potest, quarum prima est signorum prolatorum sensuum ope exceptio, ut mens alterius signa illa percipiat. Dicimus autem sensuum ope, quod Sensus dicitur, quo percipit Spiritus s. mens quid extra se *r*); qui sensus autem, cujusmodi sint, quaque ratione per illos externa percipiuntur, non pertinent ad meam disquisitionem. Nos vero, ut inter omnes constat, signa externa excipimus audiendo, si voces sunt, videndo, si figuræ, tangendo, si sub tactum cadunt, & sic porro.

*r) Sinn, sensus, sens ist die Fähigkeit der Empfindung, also die Möglichkeit der Anschauung in der Gegenwart des Gegenstandes - - vermittelt desselben (Sensus externi) stellen wir uns Gegenstände als ausser uns vor. MELLIN Wörterb. d. Krit. Phil. of. Art. Sinn.*

*V. Actus, quo notiones instrumentales, quibuscum signa illa percepta, ex conventione antea facta, connexa sunt, in conspectum mentis provocantur & ordine debito construuntur.*

Si homo hominis cogitationes, ratione dicta expressas, intelligere unquam poterit, necesse est habeat easdem notiones instrumentales, illisque eadem, ac alter, signa externa subnexa. Quas vero si habet, cum sensibus signa prolata excipit

pit, & eorum ideas mente tenet; perquirat seriem suarum notionum instrumentalium, & quamque, cui simile signum adjunctum esse invenit, inde desumat, & in conspectum mentis proferat, atque ita illas in mente sua ordinet & construat, ut ordo illarum ordini signorum perceptorum, aut potius ordini, per signa percepta indigitato, respondeat.

Hic observanda sunt sequentia: 1:º per se ipsum cuique liquet, neminem posse intelligere signum, cujus notionem debitam in collectione suarum notionum non inveniat, vel, si addit hæc notio, attamen cum illa idem signum non sit conjunctum: 2:º id, quod ille, qui cogitata sua exprimit, dissolvit, huic, qui signa proposita intelligere vult, rursus componendum est, & quod ille per analysin sive totius Ideæ in partes suas resolutionem exposuit, hic per synthésin sive recomponendo partes illas, in unum redigere studet, ut eadem idea ei eveniat. 3:º Ut vero hoc clarius tibi eluceat, sume librum & lege — Legens vero si animadvertis ea, quæ in animo tuo contingunt, facile videbis te notiones signis respondentem in ordinem dictum redigere, si alias ea intelligas, quæ legis.

*VI. Idea eadem existat in mente alterius, quam alter ei tradere voluerit, & communicatio cogitati perfecta est.*

Scilicet, ex notionibus suis, tanquam ex partibus, Ideam ad indicationem signorum comprehensorum, sibi construit mens, primæque Ideæ eatenus similem, quatenus omnes hæ operationes accurate & distincte peractæ sunt, ut cuique facile est intellectu.

Dicis fortasse sextam hanc operationem a quinta non differre. Sed observandum est, Ideam, quæ in sexta statione existet



existet non modo esse finem & effectum quintæ; sed etiam propriam mentis applicationem & actionem requirere. Quod facile quoque perspicies. Si perlegis librum, qui descriptionem machinæ cujusdam continet, immediate, legendo & ad regulam quintæ nostræ operationis componendo notiones signorum, sequeris expositionem auctoris; sed perlecto libro, omnia quasi in unum redigere velis, & machinam descriptam tibi repræsentantes. En actionem sextam, & ultimam, quoniam, si idea machinæ bene in notiones resoluta, notiones vero bene signis expositæ, signa autem bene percepta, hæc vero percepta in notiones debitas rursus permutata, & notiones denique recte compositæ & in totum redactæ sunt, eandem omnino tenes ideam, quam auctor libri tibi tradere voluit. Præterea, quis est qui nesciat, quot homines multos libros perlegant, & tamen, quamquam quintam operationem bene peragant, & mentem auctoris, sequendo verba ejus, intelligant, nihilominus, perlectis libris, ob intermissionem sextæ operationis, nihil fere sciant, illisque fere nihil ex omnibus cognitum restare: Multi perlegunt & separatim etiam bene capiunt propositiones & demonstrationes in Elementis Euclidis contentas; sed quotus quisque est, cui totum systema, quale in mente auctoris fuerit, notum est? Paucitatem illorum nempe videbis, si scis, quot sint, qui, postquam singularum propositionum &c. obliti sunt, ex idea totius, systema totum denuo condere possint. Id, quod docet, quomodo legere debemus libros, scilicet non ut in verbis & notionibus instrumentalibus insistamus, sed ut eandem totius ideam acquiramus, quam Auctor, scribendo, verbis exponere voluit.

Cuique igitur eorum, quæ de hac re dixi, satis intelligenti, perfacile est perspectu, nulli in utique harum operationum posse abesse, quando manifestum futurum sit alteri, quod alter cogitat, aut quod de aliqua re cogitavit. Propterea his partibus absolvitur vera methodus communicandarum cogita-

gitationum inter entia cogitantia, quæ finita sunt, quæque non nisi instrumentis quibusdam externis communicationem quandam inter se invicem habere possunt.

Ut vero tandem melius pateat lectori, quod hætenus conatus sum explicare, tabellam, seriem operationum laudatarum exhibentem, apponam, quæ hæc est:

1. Idea realis, sive cogitatio de re quacunque.
2. Notionum instrumentalium conquestio & ordinatio ad protypum illius.
3. Signorum externorum prolatio.
4. Apprehensio signorum eorundem.
5. Notionum instrumentalium conquestio & ordinatio ad exemplar signorum sensibus comprehensorum.
6. Idea, ideæ primæ similis, ex notionibus ut partibus constructa.

### §. 3.

Tribus igitur ordinibus sive seriebus rerum diversarum utamur necesse est, si de rebus cogitata, inter nos mutuo communicare volumus; nempe 1:º Ideis rerum de quibus cogitamus, sive Ideis realibus res aut vere existentes aut imaginarias repræsentantibus: 2:º Notionibus instrumentalibus, quæ, ut verbis Platonis utar, quasi sermonem internam efficiunt, & 3:º Terminis sive signis externis, ejusmodi, ut in conspectum alterius, sive sub sensibus alterius subijci & ab illo percipi possint.

Inter Philosophos vero multis est disputatum, quantum singula horum trium, quanquam a plurimis non satis inter se distinctorum, cogitationi & cognitioni nostræ infer-

serviant. Fuerunt alii, qui putarent, homines non nisi ope notionum instrumentalium cogitare posse; s) alii vero, qui adhuc censerent, nos sine usu verborum sive signis externis posse notionēs nostras nec determinare, nec illis uti, quia partim essent vagæ & indeterminate, partim vero confusæ, obscuræ, & facile e memoria exciderent t). Quæ tamen paucis attingere liceat.

s) Sic omnino plerique, ut supra memoratum est. CICERO, ad verba p. 19 allata, addit: *sine quibus* (scil. notionibus universalibus) *nec intelligi quidquam, nec quæri, aut disputari potest.* e. l. p.

t) Vide e. gr. ea, quæ de hac re disserit LAMBERT (N. Organ. Semiot.) & quæ claudit his verbis (l. c. § 12.) *Aus den bisherigen Betrachtungen erhellet nun, dafs die Symbolische Erkenntnis uns ein unentbehrliches Hülfsmittel zum Denken ist &c.*

1:0 Cogitare possumus solis ideis realibus, scil. illas considerando, tractando, conferendo & relationes earum mente percipiendo. Id cuique patet, tam ex ipsa re, quam ex supra allatis, si alias de notione cogitandi ulterius disputare nolit.

2:0 Cogitare etiam quidem possumus notionibus instrumentalibus, scil. illas considerando, conferendo &c. sed illo modo earum tantum mutuam relationem, & quales sint, videre possumus, ad res vero, ut res, ejusmodi cogitata non pertinent. Possumus tamen earum ope etiam de re aliqua cogitare, ita scil. ut Ideam rei cujusdam cum illis, ut cum certis partibus vel determinationibus rerum separatim, totisque rebus præterea omisfis, conferre, & relationes, quæ inter illas eo respectu intercedant, ita cernere queamus, ut sciamus, quid sit eventurum, si res, de qua agitur, in ejusmodi situ, ordine, relatione &c. venerit. Notiones instrumentales videlicet, non ita res spectant, ut ex illis de rerum vera existen-